

Recueil de plusieurs pieces curieuses servant à l'histoire de Bourgogne.

Estienne Perard. 1664.

reprinted in: Annales de la faculté de droit d'Aix. Faculté de droit et des sciences économiques d'Aix-en-Provence 1909, p. 1-94.

books.google.com/books?id=dqAWAAAAIAAJ&pg=RA3-PA1

Charter numbers according to Chartes bourguignonnes inédites des IX-XIe siècles, Garnier, Joseph, Paris 1849.

books.google.com/books?id=6EUuAAAAMAAJ&pg=PA1

[no. 29] p. 14

*Godinus eu Matrona Lantrude dat Regicula nomine
Albiniacum, situm in pago de Collatininse.*

Sacrosanctae basilicae, Diuioni in honore sancti Benigni constructae, vbi in corpore sanctus Benignus requiescit, vbi venerabilis vir Boloneus Abbas praeesse videtur, omnique p. 15

Congregationi inibi in Dei laudibus consistenti, Godinus et Matrona sua Lantrudis. Opportunum nobis erat, vt, si possit existere, ampliora in luminaribus Ecclesiarum pro ablatione peccatorum nostrorum et pro Dei amore, conferre deberemus : attamen, inquantum possibilitas praeualet, donamus, donatumque esse volumus et de iure nostro in ius et dominationem praefatae Basilicae Diuionensi sancti Benigni, omnique Congregationi in eodem loco degenti, Regiculam iuris nostri, cui vocabulum est, Albiniacum, situm in Pago de Collatininse, quicquid portio nostra in iam dicto loco in villa, seu agro Albiniaco, tam de alodo, quam de quolibet adtracto, in

ipso loco habere videmur, casas, aedificia, vna cum mansis, curtis, campis, pratis, siluis, aquis, aquarum decursibus, accessisque omnibus, in integro statu et terminatione, quod iam nos praesenti tempore possidere videmur, in praefata Basilica perpetualiter in Dei nomine possidendum, vt superius dictum est, a die praesente donamus et transfundimus; vt quicquid exinde ab hac die praefata Basilica Diuionensis sancti Benigni, suiue agentes, per stipendium praedicti viri vel fratrum facere voluerint, liberam in omnibus hanc firmissimam habeant potestatem, ita vt diximus agentes ipsius Basilicae in Dei nomine, absque vlla contradictione post eorum donationem ad ius suum valeant reuocare. Hanc, si quis, Nos, aut quislibet de haeredibus nostris, aut apposita persona, contra donationem praesentem nostram venire temptauerit, et vobis vestrisque successoribus calumpniam intulerit, culpabiles, sociato fisco, auri libram vnam, et argenti libras duas persoluant, et nichilominus donatio nostra firma permaneat, stipulatione et sponsione pro omni firmitate sucnexsa. Actum Douernico publice. Godinus hac donatione facta subscripsit. Signum Lantrudis, que facere rogauit in Dei nomine, Agilbertus Abbas subscripsit. In Christi nomine Bobelenus Presbiter subscripsit, in Christi nomine Arembertus Presbiter, Frodoino, Frodebertus, Almabertus, Ansfredus, rogatus hanc donationem scripsi et notauit, die Veneris, mense Martio, in anno XVII. Regni domini nostri Chilperici Regis feliciter.

Année 579.

p. 18

Ermenbertus illustris vir, eu Matrona Ermenoara, dant sancto Benigno Maseiacu, Posciacum, et Fontem Lagnis. Ex Chartul. S. Benign.

Sacrosanctae Basilicae, sup oppido Diuione constructae, vbi videlicet Beatus Benignus, Sacerdos et Martyr gloriosissimus, requiescit in corpore : Ego illustris ver Ermenbertus, eiusque matrona Ermenoara. Assumpsit nos voluntas, pro animae nostrae remedio, vel aeterna retributione, vt aliquid de rebus nostris ad supradictam Basilicam, vel sancto domno Benigno,

debeamus; vt monachi, vel pauperes ibidem consistantes, pro nobis Domini misericordiam debeant deprecare. Idcirco donamus, sicut superius diximus, a die praesenti, hoc est locella aliqua, quorum vocabula sunt haec, Masciacum, quod positum est in pago Lingonico, quod per commutationem viri Apostolici domni Dodoaldi Episcopi, ad venerabilem virum Bobolenum Abbatem quondam peruenit, et alia locella duo, Posciacum, et Fontem Lagnis, que posita sunt in Pago Latescinse, vna cum terris, curtiferiis, et aedificiis desuper positis, campis, vineis, pratis, siluis, aquis, accessisque omnibus, quod portio nostra est, in supra dicta locella, tam de allodo patrum nostrorum, vel vndecumque ad nos ibidem peruenit, aul inantea peruenire potest, mancipiis, libertis, accolabis, quicquid ibidem ab antea possidemus, aut in praesanti tempore possidere vldemur. Hoc tantum sancto Benigno suisque actoribus damus, ita vt, a praesenti die, nomme recipiant, habeant, dominantur, possideant, vel quicquid exinde actores ipsius ad profectum sancti Benigni suisque seruiantibus facere voluerint, liberam ac firmissimam, Christo praesule, in omnibus exinde habeant potestatem, vt ipsi monachi, vel pauperes ibidem consistentes, pro nobis peccatoribus, Domini debeant misericordiam deprecare. Si quis autem nostrum, aut haeres, aut cohaeres noster, vel quilibet, contra hanc donationem, a die praesenti, dicere aut agere aliquid voluerit, inferat ad

p. 19

actores Basilicae sancti Benigni, vna cum socio fisco, auri libram vnam, argenti libras quinque. Et vt haec donatio nostra omni tempore firma et stabilis. Domino permittente, debeat permanere, stipulatione subnixta firmamus. Actum in supradicto monasterio publice, anno ab Incarnatione Domini DC. XXXII. Ego Imbertus, lector, rogatus a supradicto Hermenberto, hanc donationem conscripsi et dataui, die tertio post Kalendas Septembris, anno quinto Regni domini nostri Dagoberti, Regis. *Année 632.*

[no. 30]

Goyla dat. S. Benigno, quicquid habebat in Pago Atoariorum, in fine Longouiana, Ex Chartul. S. Benigni.

Sacrosanctae Basilicae domni Benigni Martyris, quae est sub oppido Diuione constructa, vbi ipse pretiosus Sanctus magno bonore in corpore requiescit. Ego igitur in Dei nomine Goyla, peccatrix feinina, propensauit de humana fragilitate, vt duni est anima in corpore in omni potestate sua, ita debet cogitare, vt de rebus sibi iuste debitis inde sibi comparet Paradisum. Igitur, ego ad ipsam Basilicam, vel suorum auctoribus, post diem obitus mei vel dulcissimo iugale meo Bonuaso, nomine, cedo, cessumque in perpetuum vt permaneat esse volo, hoc est, in pago Atoariorum, in villa vel fine longouiana, quicquid ibidem visa sum habere, vel possidere, aut dominare ; hoc est tam territoriis, domibus indominicatis, vel omnibus accidentiis, seu etiam omnem rem suprapositam, curtiferis, villaribus, campis, pratis, siluis, vineis, pomiferis, pascuis, accessisque omnibus, aquis, aquarumque decursibus, cum omni iure, cum omnibus adiacentiis vel appenditiis suis; hoc est Fedenniaco, Postenniaco, Monasteriolo, Ataenis, medietate, Glonnoco, Curte Bunciana, Fisciaco

p. 20

Cheneuas, Marcenniaco, quicquid ibi visa sum habere vel possidere, totum, ad integrum, et in omnibus, vna cum mancipiis, libertis, cum peculio, vel omni peculiare ipsorum, vna cum Acolabis, vel omnem rem inexquisitam, lotum euin, quem, vt dixi, in ipsas supradictas fines, vel in ipsas villas, seu etiam in ipsos agros, tam de alodo, quam de parentum meorum, per instrumenta cartarum, aul de quolibet ingenio aut adtracto, id, de quacumque parle ad me ibidem aduenit, aut in antea, Christo praesule, peruenire potest, quod a me ibidem, nunciisque, iuste et rationabiliter, de quacumque re ibidem possessum fuit, aut quod in antea ibidem obuenerit, aut adtrahere vel meliorare poterit, hoc totum eo ad integrum, cum omni integritate, vel soliditate, actores vel rectores ipsius Basilicae superius iamdictae domni Benigni, post diem obitus mei, aut iam dicto iugale meo nomine Bonuaso, a die praesenti, ipsas vel superius nominatas, absque vlla contrarietate, vel cuiuscumque expectata traditione, ad possidendum, in Dei nomine, meorum reuocent dominatione : vt quicquid exinde ad

opportunitatem ipsis loci facere voluerint, libere ad suum, in Dei nomine, absque ullius contradictione perfruantur, arbitrium; et quod nec fieri credo, si ego ipsa, aut ullus de haeredibus meis, vel qualibet alia opposita conuenia vel persona, vlllo tempore, contra praesenti Epistola cessionis, quam ego, plenissima voluntate mea, pro redemptione animae meae conscribere vel adfirmare rogavi, venire temptauerit, vel repetere, aut calumniare, inferat partibus saepedictae Basilicae sancti Benigni, suisque auctoribus, vna cum socio fisco, auri libras tres, argentum pondus 3. et nichilominus praesens cessio et voluntas mea omni tempore firma et inuiolata permanere stipulationi subnixa. Actum Bagna villa, publice, signum Goylanae, que hanc cessionem fieri et firmare rogavit. Signum Boneuaffo iugale suo, qui consensit, in Dei nomine Goinus Abbas signauit. Signum Gotofredo, signum Landoni, signum Teuderamno, signum Elmoaldo, signum Graffiono, Richselinus. S. Ego in Dei nomine Brandlenus. Presbyter, rogatus, apta firma cessione scripsi et notaui. Die sabbato ante medio

p. 21

mense Aprili, in anno XIV. regnante domino nostro Theoderico Rege.

Année 679.

[no. 33]

Ermenoara dat. S. Benigno Ruffiacum villam.

Domino sacrosanctae Basilicae sancti Benigni martyris sub oppido Diuione constructa, quo Apostolicus vir Assoricus tenet regimen : Ego Ermenoara Deo sacrata, pro animae meae remedio, trado iam dictae Basilicae, vel monachis et matriculariis, qui ibidem conuersari noscuntur, vel quoque tempore fuerint, quicquid in villa Ruffiaco, quae in pago Atoariorum est, vel in ipsa fine visa sum habere, tam de alodo, quam de comparato vel adquisito, id est, casales, cum edificiis desuper positis, vineis, campis, pratis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, vel quicquid dici aut nominari potest, omnia et ex omnibus ad suprascriptam Basilicam domni Benigni, vel ipsius monachis et matriculariis, vnde in iam dicta penes mea Epistola

plenissimi voluntario volo delegaui, a die presenti in eorum reuocandas meritum. Si quis autem de ipsa Basilica domni Benigni, vel de ipsis monachis et matriculariis, haec a me collata, in proprios vsus retorquere gestiens, super hac re Lingonensem obseruare noluerit Pontificem, conatus eius effectum non habeat. Quod si fecerint hoc, quod absit, ipsae res ad meos licenter per omnia reuertantur haeredes, et ad alteros homines his nominibus, Ermenario, et Ermenrico, et infantes eorum, eliam bis nominibus, Blideranno et Ermenbaldo, qui per Epistolam, germano meo Bobeleno quondam fuerunt dimissi : sin alias, volo, sicut rectum est, et de omnibus quae sponte loco Diuienensi dedi in Rufiaco iam dicta villa, vel occasione, vel tutionis patrocinio, vel obsequio, iuxta quod eorum Epistola loquitur, a die presenti de ipsis rebus iam dicti ministri sancti Benigni, liberam habeant potestatem, quicquid facere voluerint. Si vero, quod futurum esse non credo, si Ego etiam aliquid voluero demere, vel quaelibet opposita persona, qui contra hanc Epistolam donationis venire

p. 22

voluerit, vel quicquam agere temptauerit, inferat ad ipsam Basilicam domni Benigni, atque suis actoribus duplo tantum quantum ipsae res melioratae valuerint, fisco autem publicae rei auri libram vnam; et nichilominus, praesens haec Epistola donationis omni tempore firma et inuiolata permaneat stipulatione subnixa. Actum Rufiaco publice. Signum Ermenoare Deo dicatae, quae hanc Epistolam donationis fieri rogauit. Signum Farlagonis nepotis ipsius, qui consentit. Signum Aremberti, Trasacofiae, Cassini, Landradi, Godulfi. Ego Artaldus, ad vicem Cancellarij, scripsi, et dotaui, rogatus ab Ermenoara Deo sacrata, ante Kalendas Madias, defuncto domno Theoderico, et electo Karolo Maiore Domus.

Année 735.

[no. 34]

Rocholenus, eu Ermena coniuge, dant sancto Benigno Villare, quod est in pago Belnensi.

Sacrae ac reuerendissimae Basilicae sancti Benigni, vbi ipse

gloriosus in corpore requiescit : Ego Rochelonus, et coniux mea Ermena, pro Dei timore, et pro respectu animarum nostrarum, vel pro aeterna retributione, vt in futurum veniam nobis praestare dignetur : propterea cedimus ad ipsum sanctum locum, vel Rectores eius, cessumque in perpetuum esse volumus, et de iure nostro in ius et dominationem ipsius Basilicae tradimus, atque transfundimus ; hoc est, terram proprietatis nostrae, vna cum casa superposita, vel adiacentiis tam mansis, terris, campis, vineis, pratis, siluis, pascuis, eulas et insulas, aquis, aquarumque decursibus, quod est in pago Belnensi, in fine Maliacense, in Eldere, qui vocatur Vilare, omnia et ex omnibus, quicquid ad ipsum michi aspicere videtur, totum et ad integrum, cum omni re inexquisita, a die presente, ad ipsum Dei locum tradimus atque transfundimus ; vt quicquid exinde, a die presente, Rectores ipsius sancti, vel ad profectum ipsius facere loci voluerint, liberam habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credimus, si nos ipsi, vel aliquis de haeredibus nostris, vel quislibet, vlla emissa persona, qui contra cessionem istam venire conauerit, quod repelit nichil euindicet, et insuper, vna

p. 23

cum socio fisco, sit culpabilis ipsius Basilicae, vel Rectoris eius, auri vncias tres sciant se esse mulctandos : et haec cessio omni tempore permaneat firma, stipulatione subnixa. Actum Cadussa villa, publice. Signum Rocholeni, qui hanc cessionem fecit, Signum Ermenara, que fieri et firmare rogauit. Signum Gisleberto, signum Rilchario, signum Natale, signum Ragenfredi. Datum quod fecit mensis Februarius dies II. in anno nono regnante domino nostro Pippino glorioso Rege. Ego Doddo, lector, hanc cessionem scripsi et subscripsi.
Année 761.

[no. 35]

Bago Presbiter, dat sancto Benigno mansum et Arcolas in villa Isiodoro et Asziriaco, et Salas.

Domino sacrosanctae Basilicae sancti Benigni Martyris, sub oppido Diuionis constructae, vbi venerabilis vir Thanothardus

preesse videtur, et Stemarus ac Seirannus Presbiteri deseruire videntur : Ego in Dei nomine Bago, Presbiter, cogitans peccatorum meorum molem, et vt remedium in die Iudicij ante Tribunal aeterni Iudicij, et veniam accipere merear. Igitur in Dei nomine, cedo ad ipsos sedem et locum, cessumque in perpetuum vt permaneat esse volo; hoc est, mansus et Arcolas, quae ego vna cum actoribus venditionis conquisiui, in pago Oscarinsi, in loca nuncupata in villa Isiodoro, et Ipsalas, vel in Alzariaco, tam mansis vna cum superpositis, campis, pratis, siluis, terris cultis et incultis, arboribus, pomiferis, aquis, aquarumue decursibus, accessisque omnibus, exitibus, et regressibus, et totum et ad integrum quicquid in hac dicta loca, ad hoc tempus, visus sum habere, tam de comparato, vel quolibet modo, ad meos vsus peruenisse, ad ipsam sanctam Ecclesiam sancti Benigni a die presenti, cedo, trado, atque transfundo in eorum dominationem. Ea tamen conditione, vt nec Abbas, nec actores ipsius Basilicae, alienare et beneficiare non debeant, nisi perdurante mercede mea per hanc Epistolam insectionis, sicut ibidem insectum est, ipsas res vna cum inimelioratas habere et dominare in Dei nomine debeant, licita cessione peracta. At quoniam necesse non est dimittere factis, propter calliditates et inuentiones

p. 24

maiorum hominum, milii placuit inferendi, si ego aut aliquis de haeredibus meis, vel quaelibet alia opposita persona, qui contra hanc cessionem voluntate mea conscriptam venire, aut aliquam calumniam generale voluerit, non valeat euendicare quod repetit, sed inferat vobis, vna cum socio fisco, auri uncias duas : et nichilominus, presens haec cessio omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Actum Diuisione, Basilica domni Benigni publice. Ego in Dei nomine Bago Presbiter, hanc cessionem relegi et subscripsi. Signum Adalrici testis, signum Richardo, signum Bertrarij, signum Altride, signum Agirardi : In Dei nomine, Ego Sichrannus lector, rogatus scripsi, annotaui, die Sabbati proximo post medio mense Iunio, anno vndecimo regni domni nostri Pipini Regis.

Année 763.

[no. 42, Mart. 775?]

Ansegaudus dat sancto Benigno mansu, cum supraposito, in pago Atoariorum, in villa Sanctocolonica, siue Bargas.

Domino sacrosanctae Basilicae domni Benigni Martyris, sub oppido Diuionis constructae, vbi venerabilis vir Vualdricus preesse videtur Abbas. Ego in Dei nomine Ansegaudus, cogitans pro remedio animae meae, vel veniam peccatorum meorum, vel vno consensu nostro, prolis meis, seu et nepotibus meis, vt res meas proprias in pago Attoariorum, in loco nuncupante in villa Sanctocolonica, ciue Bargas, ad memoratam Ecclesiam concedere deberem. Quod et ita in Dei nomine feci ; hoc est mansus cum suprapositis casis, edificiis, curtiferis, campis, pratis, vineis, pomiferis, cultis, et incultis, vel omni re inexquisita, aquis, aquarumque decursibus, exiis et regressis, vel quicquid in ipsa villa denominata, tam ego quam haeredes mei, visi sumus habere, vel possidere, a die praesenti ad memoratam Ecclesiam, vel suis custodibus, tam presbyteris, diaconibus, seu lectoribus, in eorum trado atque transfundo dominatione; vt quicquid ab hac die de iam dictis rebus, tam ipsi custodes quam successores eorum, ab hac die ad eorum augmentum facere voluerint, liberam

p. 25

in omnibus, et in Dei nomine, iure perpetuo faciendi quod voluerint, habeant potestatem. Si quis vero, si ego, aut aliquis de haeredibus meis, vel quaelibet vlla opposita persona, quae contra hanc cessionem voluntate mea conscriptam venire, aut aliquam calumpniam generare voluerit, non valeat euindicare quod repetit, sed inferet ad memoratam Ecclesiam, vel suis custodibus, duplum tantum quantum ista cessio eo tempore implicitam habuit, aut ipsae res eo tempore melioratae valuerint, fisci iuribus auri vncias tres, argenti vero pondus duos : et nichilominus, praesens cessio omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum Diuioni, ad Basilicam domni Benigni, publice. Signum Ansegaudi, qui hanc cessionem fieri et firmare rogauit, signum Norgaudo, signum Landradi, filiique ipsius, qui hanc cessionem fieri rogauerunt, et consenserunt : signum Amadij, signum Isgardi, signum

Fulcherij nepotis ipsius, qui hanc cessionem rogauerunt, et consenserunt. Signum Seruadi, signum Ermentei, signum Bertarij, signum Boroni. In Dei nomine ego Subrandus Presbiter, hanc cessionem scripsi et subnotaui, die dominico proximo post KL. Martias, anno VII. Regni domni nostri Karoli Regis.

Année 775.

No 105.

Egremarus, cum vxore Eua, dant in fine Noruiese, quicquid sui iuris ernt, Ecclesie sancti Benigni.

Domino sacrosanctae Ecclesiae sancti Benigni Diuione constructae, vbi ipse dominus et preciosus in corpore requiescit, vbi in Dei nomine Daud Presbiter, vna cum ipsa congregatione deseruire videntur. Igitur in Dei nomine Egremarus, et Matrona Eua, cogitauimus pro Dei misericordia et venia peccatis nostris minuendis. Propterea donamus, et a die presente donatum vt permaneat volumus, hoc est in fine Noruiese, in ipsa villa, mansis, curtiferis, campis, siluis, pratis, aquis, vel decursis, exiis et regressis, vel omnis adiacentiis, quicquid in ipsa iam dicta fine, vel in ipsa villa, visus sum habere vel dominare, totum et ad integrum, portionem nostram a die presente tradimus atque transfundimus; vt quod ipsi custodes Ecclesiae, de ipsas res facere voluerint, liberam et firmissimam, in Dei p. 26

nomine, in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod nec fieri credimus, si nos, aut heredes nostri, vel quislibet vlla opposita persona, qui contra hanc donationem, nostra voluntate facta et scripta venerit, aut agere, vel calumpniare presumpserit, euindicare non valeat quod repetit, et insuper inferat ipsi Ecclesiae, vel suis custodes, vna cum socio fisco, auri vncias, duas : et nichilominus, presens haec donatio firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum Buxeria villa publice. Signum Egremari et Euarae, qui hanc donationem fieri et firmare rogauerunt, S. Grimerio, S. Bladono, S. Adalgaudo. Ego Manfredus Presbiter, scripsi et subscripsi, et dataui, die Sabbato ante KL. Februarij, régnante domno nostro Karolo, anno octauo

Regni eius.

Anné 776.

[no. 41, Nov 777?]

Leotaldus, vna cum germana sua Dada, dant sancto Benigno, quicquid sui iuris erat in villa Bargis, pago Atoariorum.

Domino sacrosanctae Basilicae sancti Benigni martyris, sub oppido Diuionensi constructae, vbi venerabilis vir dominus Vualdricus praeesse videtur pontifex, et Dauid Presbiter, cum omni congregatione sancti Benigni, Leotaldus, et germana sua Dada ; cogitamus pro Dei intuitu, vel reuerentia ipsius loci, vt aliquid de Paupertaticula nostra ad ipsum locum, vel suis custodibus concedere debeamus; quod et ita in Dei nomine fecimus : hoc est in pago Atoariorum, in villa Sanctocolonica, siue in Bargis, quicquid ibidem visi sumus habere, mansos cum casis superpositis, vna cum exitu et regressu, campis, vineis, pratis, siluis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, accessisque omnibus, totum et ad integrum, quicquid ibidem in iam dicta villa visi sumus habere aut dominare, tam de parentum nostrorum, quam de comparato, aut de attracto, aut quolibet ingenio ad nos peruenit, aut peruenire potest, ad memoratam Basilicam, suisque custodibus, presbiteris, diaconibus, subdiaconibus, clericis , seu lectoribus, cedimus, tradimus, atque transfundimus ex dominatione nostra, vt tam ipsi custodes, quam successores eorum, quicquid facere voluerint, liberam in

p. 27

omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod nec futurum credimus, si nos aut vllus de haeredibus nostris, aut quaelibet vlla opposita persona, quae contra hanc donationis Epistolam venire, aut aliquid agere conauerit, nullo modo valeat euindicare quod repetit, sed inferat vobis, vestrisque successoribus ad augmentum Basilicae sancte auri vncias duas : et nichilominus presens haec cessio firma permaneat, stipulatone subnixa. Actum Diuione, in Basilica sancti Benigni publice. Signum Leotadi et Dadae, qui hanc cessionis Epistolam fieri rogauerunt ; signum Ermenberti, signum Barnarij, signum Agramni,

signum Adam. In Dei nomine, ego Airbaldus diaconus hanc epistolam cessionis scripsi, et subcripsi, et adnotauit, die Lunis proximo post KL. Nouembris, anno decimo Begni Domini nostri Karoli Imperatoris.

Année 778.

[no. 38, Jun 783]

Vulfricus dat omnia quae habebat in villa Dusmensi.

SACROSANCTAE Ecclesiae sancti Benigni, sub oppido Diuion. constructae, vbi ipse preciosus Martyr requiescit in corpore, et venerabilis domnus Vualdricus Episcopus praesesse videtur Pontitex, et Daud Presbiter Custos. Ego in Dei nomine Vulfricus Clericus, seruus seruorum Dei, cogitans quo modo misericordiam Dei inuenire possem, et veniam peccatorum meorum consequi, destinaui de rebus meis aliquid conferre ipsi sancto loco, atque inibi Deo seruiantibus. Cedo igitur, cessumque in perpetuum vt permaneat volo, hoc est, quicquid in pago Diuionensi in villa Dusmensi, seu in disto, quicquid ibidem visus sum habere, et de genitore meo Fulcario, quondam in legitima haereditate ad me peruenit, aut peruenire potest, ei portio mea est, tam mansis et suprapositis campis, vineis, pomiferis, aquis, aquarumque decursibus, siluis, pascuis, exiis et regressis, totum ad integrum, a die presenti ad ipsum sanctum locum cedo, et de meo iure et dominatione in potestatem Rectorum ipsius Monasterii transfundo; ita vt ab hac die, quicquid ex ipsis rebus facere voluerint, liberam in omnibus habeant facultatem, absque alicuius contradictione. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego

p. 28

ipse, aut vllus de haeredibus meis, aut quislibet vlla missa persona, quae contra hanc donationem mea voluntate factam venire, aut calumniare voluerit, non valeat evindicare quod repetit, sed insaper inferat Rectoribus ipsius Basilicae, vna cum socio fisco, auri fol. v. et nichilominus presens haec cessio mea voluntate facta, firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum Diuione ad Basilicam sancti Benigni publice. Signum Vulfridi, qui hanc cessionem fieri et firmare rogauit; signum Fulcomeri,

fratris sui, qui consensit; signum Erloini, signum Benedicti, signum Adalgaudi. Ego, in Dei nomine, Leodonus diaconus, rogatus scripsi, et subscripsi, et dataui, post KL. Iunias, anno XV. regnante domino nostro Karolo Rege.
Année 783.

No 45, Jul 816

Airardus et Zacharia, vedunt Erlegaudo Abbati terram In Centena Oscarense, in oppido ipso Cratmulnense.

Domino Fratri Erlegaudo Abbati emptore. Ego Airardus et Zacharia, nos venditores vendidimus tibi, et ita vendidisse constat, terra iuris nostri in Centena Oscarense, in fine Cratmulnense, in oppido ipso Cratmulnense, hoc est Iornales duos, quia ipsi Iornales latus ad latus habent terminationes, de vno latus, et vno fronte ipsi venditores tenent, de alio latus ipse
p. 30

emptor tenet; de superiore vero parte strata publica pergit, et habent ipsi Iornales in longo, perticas agripennales XXXI. et in lato de subteriore fronte, perticas agripennales VII. et pede vno, et in medio perticas VI. et pedes X. et de superiore fronte perticas agripennales VII. et pedes duos. Infra istas terminationes quicquid insertum est, totum ad integrum tibi vendimus, et accepimus a te precium, sicut inter nos conuenit, quod conualescat in argento solidos 12. Propterea predictos Iornales, pro ipso pretio, de iure nostro et dominatione in tua tradimus potestate et dominatione a die presente, iure perpetuo, ad possidendum, habendi, tenendi, vendendi, seu commutandi, vt quicquid de ipsos Iornales facere volueris, tam tu quam haeredes tui, liberam et firmissimam in omnibus, et in Dei nomine, habeas potestatem, nullo contradicente. Si quis vero, quod nec fieri credimus, si nos ipsi, aut vllus de haeredibus nostris, vel quislibet vlla opposita persona, qui contra hanc venditione voluntatem ac conscripta, vlla calumnia dicere aut repetere voluerit, nichil hoc valeat euindicare quod repetit, sed inferat tibi, tuisque haeredibus, vna cum socio fisco, auri vncias duas; et nichilominus presens haec venditio omni tempore firma et stabilis permaneat sub stipulatione subnixa. Actum Diuione

ad Ecclesiam domni Benigni, publice, Signum Airardo, signum Zachariae, qui hanc venditionem conscribere et firmare rogauerunt. Signum Vuidbaldo, signum Andalfrido, signum Blidgerio, signum Guntardo Presbiteri. Ego in Dei nomine Leolaldus Diaconus, rogatus hanc venditionem scripsi et subscripsi, dataui in die dominico proximo KL. Augusti, in anno secundo domini nostri Ludouici Imperatoris.
Année 816.

No 46, Oct 816

Confirmatur res sitae Bargis, Erlegaudo Abbati.

In Christi nomine, Noticia, qualiter ante illuster vir Hildierno Comite, sed et scabienis, vel plures personas, qui cum eo ibidem aderent, Campanias villa, in Mallo publico, ibique veniens Erlegaudus, Abbas de Ecclesia sancti Benigni Diuionense, cartas ibidem presentauit, de res quae sunt in villa Bargas

p. 31

sitae, in monte Farulfo, in Bargas ad integrum, et in monte Farulfo medietatem, eo modo Dodalenus siue Dodo, ad ipso loco sancto condonauerunt, vel ad ipsa congregatione tradiderunt. Et ipsas cartas ibidem relectas fuerunt, et ad presens predictus Abba, per iudicium, dedit nouem testimonia legitima bonas et veraces, testimoniauerunt et iurati per portauerunt, quod tempore domni Pipini, et tempore domni Karoli quondam Regis, et filij sui Ludouici Regis, ipsa Casa Dei vestita fuisse, et per ipsas cartas Casa sancti Benigni vestitam vidissent, et per legem et iusticiam, vel per ipsas cartas ad sancti Benigni ad Beneficio partem Erlegaudi Abbatis omni tempore sint euindicatas, atque legibus conquisitas bis presentibus.

Signum Vrsnado, S. Balacterio. S. Magalbergo. S. Berco. S. Adalerio. S. Balarido. S. Baldrico. S. Agrano. S. Matalaldo. S. Abicono. S. Vuirinerio. S. Agrano. S. Ageno. S. Vualdo. S. Aritberto. S. Vuillerico. S. Serlagio. S. Erlaio. S. Flaumero. S. Gerendo. S. Eremberto. S. Ereno. S. Nigrado. S. Marcherio. S. Christiano. S. Fulcardo. S. Siramno. S. Bericorno. S. Bonone. S. Rauono. S. Milo. Ego in Dei nomine, Vualteridus, presens fui,

scripsi, et subscripsi, dataui, die Sabbato proximo in mense Octobri, anno secundo, regnante domno nostro Ludouico Rege atque Imperatore, feliciter.

Année 816.

No 47, Mart 817.

Dodo, Amalbardus et Eraglus, dant Erlegaudo Abbati, pratum situm in villa Bargas, in Pago Atoariorum.

Domino sacrosancto monasterio sancti Benigni, qui est sub oppido Diuione constructus, vbi ipse pretiosus in corpore requiescit, vbi et venerabilis vir Erlegaudus praeesse videtur Abbas, seu et illa congregatio, tam Presbiteri, Diaconi, siue Clericos, qui ibidem deseruire videntur. In Dei nomine nos igitur Dodo, Amalbardus, Eraglus, donamus, donatumque esse in perpetuum vt permaneat volentes, hoc est de rebus nostris propriis, quae sunt sitae in Pago Atoariorum, in villa Sanctocolonica, siue in Bargas, vel in ipsas fines, hoc est pratum vnum, qui habet terminationes, de vno latere Vuitgerius tenet, de alio latere ratio sancti Mammetis, de vno fronte terra sancti Benigni,

p. 32

de alio vero fronte Eraclius tenet, et habet in longo perticas agripennales XXX. et pedes V. et in lato, perticas V. et pedem I. et dimidium, infra ipsas terminationes ad integrum, et campum vnum qui habet terminationes, de vno latere terra sancti Benigni, de alio latere strada publica, de vno fronte Vuitgerius tenet ac sui haeredes, de alio vero fronte Ildeboldus tenet, infra istas terminationes, ipsum campum exterminatum, de iure nostro et dominatione ad integrum tradimus, in vestra potestate et dominatione, a die presenti, iure perpetuo ad possidendum ; vt quickquid exinde Rectores ipsius monasterij de ipsis facere voluerint, liberam et firmissimam habeant in omnibus potestatem, nullo contradicente. Si quis vero, quod futurum non credimus, si nos ipsi, aut vllus de haeredibus nostris, vel quislibet vlla opposita persona, quae contra hanc testamenti donationem, contra vos aut successores Monasterij, vllam calumniam dicere aut repetere voluerit, non valeat euindicare

quod repetit, sed insuper rectoribus ipsius monasterij, vna cum socio fisco, persoluat auri vncias duas : et nichilominus presenti donum testamenti omni tempore firmum et stabile permaneat, stipulatione subnixa. Actum Bargas villa publice. Signum Oddonis. S. Eracli. S. Beati. S. Amalbardi. S. Ermengardis. S. Gistiana. S. Gesindrianae, qui consenserunt, et fieri rogauerunt. S. Ildeboldi. S. Aquini. S. Vninebaldi. S. Ildemanni. S. Turpuini. S. Farulci. S. Vulfaldi. S. Ildurij. S. Arilloni. Ego in Dei nomine, Leotaldus Presbiter, rogatus, hoc testamentum donationis scripsi, et dotaui, die Iouis post mensem Februarium anno tertio Regni Domini nostri Ludouici Imperatoris.
Année 817.

No 48, Febr 819

Vuitgarius Presbiter, dat sancto Benigno, quicquid possidebat apud villam Bargas, in Pago Atoariorum.

Sacrosancti Benigni Monasterio, quod est sub oppido Diuione constructum, vbi ipse domnus et gloriosissimus in corpore quiescit, vbi et venerabilis vir Erlegaudus Abbas praeesse videtur: Ego in Dei nomine Vuitgarius, ac si indignus Presbiter, cogitavi pro remedio animae meae, vel pro aeterna retributione,
p. 33

vt ante Tribunal aeterni Iudicis veniam et indulgentiam accipere merear, et inter sanctos suos michi partem aliquam concedat; propterea, aliquid de rebus meis ad ipsum locum sanctum conferre disposui, quod ita plenissima voluntate et libenti animo perfeci, cedo atque trado ad ipsum locum sanctum, in Pago Atoariorum, in villa Sanctocolonica, siue Bargas, quicquid de parentum meorum haereditate ad me peruenit aut peruenire potest per instrumenta cartarum, vel de quolibet ingenio, tam in ipsis villis, quam in fines earum, hoc est mansis, casis, edificiis, curtiferis, campis, pratis, vineis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, exiis, et regressis, exquisita, et inquirenda, quicquid ad meam portionem attinet, totum ad integrum de meo iure in dominationem rectorum ipsius Ecclesiae, trado, atque transfundo; vt ab hac die quicquid de ipsis rebus facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant

potestatem, nullo contradicente. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de haeredibus, vel pro haeredibus meis, aut quislibet vlla emissa persona, qui contra hanc cessionis Epistolam mea voluntate conscriptam, illam calumniam dicere aut repetere voluerit, non valeat euindicare quod repetit, sed inferat Rectoribus ipsius monasterij tantum quantum ipsae res valuerint, et in fisco auri libram vnam mulcta sustineat ; et haec Epistola cessionis omni tempore firma et stabilis permaneat, et stipulatione subnixa. Actum Diuione, vico publico. Ego Vuidgerius Presbiter, hanc donationem a me factam firmare rogavi. S. Vuandalfridi. S. Adalongi. S. Ermenardae. S. Seruadi. S. Sigeberti. S. Hudonis. Ego in Dei nomine, Leotaldus, hanc Epistolam cessionis scripsi, et subscripsi, dataui, die Veneris, tertio Idus Februarij, anno sexto regnante domino nostro Ludouico glorioso Imperatore. Année 820.

[No. 44 Febr. 820]

Erlegaudus Abbas, dat S. Benigno quicquid possidebat in villa Curmulnese, in Centena Oscarense.

Domino sacrosancto Monasterio, qui est in honore sancti Benigni constructus, in Pago Diuionense, in ipso Diuione, foris muro, vbi et ipse domnus et preciosus Martyr in corpore
p. 34

requiescit, vbi et venerabilis vir domnus Erlegaudus, in regimine praeesse videtur Abbatis : Et si indignus peccator, ego ipse Erlegaudus, in Dei nomine, cogitavi de Dei timore, vel pro animae meae remedio, et aeterna retributione, quandoquidem ante Tribunal aeterni Iudicis veniam, et indulgentiam accipere merear. Igitur dono ad ipsum locum sanctum, hoc est, tam Presbiteris, Diaconibus, Lectoribus, vel Cantoribus, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est, de rebus meis propriis, que sunt sitae in Centena Oscarense, in fine Curmulnense, et in ipsa villa quae per instrumenta cartarum visus sui comparasse, et adhuc inuenire possum, hoc est, tam mansis, casis, edificiis suprapositis, campis, pratis, vineis, siluis, vel aquis, seu omnis adiacentiis, cum exiis et regressis,

quicquid ibidem visus sum habere, totum et ad integrum, sicut iam dictum est superius, ad ipsam congregationem, de iure meo et dominatione in eorum trado potestate et dominatione ; itaut, ab hac die, faciendi quid voluerint liberam habeant potestatem, nullo contradicente. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de haeredibus meis, vel pro haeredibus meis, vel quaelibet vlla persona, quae contra hanc testamenti donationem voluntate mea conscriptam, vlla calumnia dicere, vel repetere voluerit, non valeat euindicare quod repetit, sed inferat ad ipsam congregationem, vel eorum successoribus, in duplum, tantum quantum ipsae res valuerint, in fisco vero auri libram vnam coactus exsoluat, et haec testamenti donatio, omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum Cramulnensi. Ego Erlegaudus et si peccator, Abba, hoc testamentum donationis a me factum relegi, et conscribere rogauij et subscripsi. Signum Airado, signum Vimino, signum Vdalingo, signum Vuidaldo, signum Nantcherio Presbitero. Ego in Dei nomine Leotaldus Presbiter, rogatus hoc testamentum donationis scripsi et subscripsi. Data die dominico Nonis Februarij, anno sexto regnante domno nostro Ludouico Imperatore. Signum Nanterio, signum Ermenardo, signum Vgralando, signum Issudido, signum Suiferio, signum Euregerio, signum Eufredo.
Année 820.

p. 35

[No. 103, Jul 827]

Permutatio Terrarum, facta inter Erlebertum et Seraphim.

In quo karitas illibata permanserit, par pari suo opportuna et congrua beneficia non denegabit, ideo auxiliante Domino nostro Ihesu Christo, placuit atque conuenit inter venerabilem virum Erlebertum Corepiscopum, et ab alia parte Seraphim Abbatem, vt terras, per iussionem Alberici dono Dei Episcopi inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit Erlebertus Corepiscopus de ratione sancti Benigni, Seraphim Abbati, ad partem sancti Petri Besuensis, in Pago Atoariense, in villa quae dicitur Lucus, seu Verona, quicquid in iam dictis villis vel

finibus visi sumus habere; hoc est tam mansis, terris, pratis, siluis, totum et ad integrum ; et e contra, dedit Seraphinus Abba, de terra sancti Petri Besuensis, Erleberto Corepiscopo, ad partem sancti Benigni et fratrum, quicquid in vico sancti Benigni, seu et in fine Diuionense, vel Dompnipetrense, vel Longouiana, vel in Canauense, et Mazilleras, et in fine Tremolense, et in fine Fontanense, et in villa Prouiso, et in fine Distense, quicquid in iam dictas fines vel villas visi sumus habere vel possidere, totum et ad integrum, praeter illa area in Castello, et illa vinea foris muro, illa plantella ad Tremoledo, aliud totum cum terris, pratis, vineis, siluis, totum et ad integrum. Similiter in villa Curcellas, vel in ipsa fine Curcellense, sine in fine Flauiniacense, tam mansis, quam terris, vel pratis, et siluis, totum et ad integrum : et repromittunt inter se, vna quaeque pars, contra pari suo, de hoc quod accepit, quod vlla calumnia nec dicere, nec repetere debeat; quod si fecerit, inferat pars parti custodi auri libram vnam, et sua repetitio nullum obtineat effectum, et hoc procamium inter ipsos factum, omni tempore firmum et stabile permaneat, stipulatione subnixa. Actum Diuioni vico sancti Benigni, publice. In Dei nomine Albericus Episcopus, hanc commutationem a me factam relegi et subscripsi, Amalbertus presbiter subscripsi, Leotaldus presbiter subscripsi, Vuidgerius presbiter subscripsi. Airfons diaconus subscripsi. Arnaldus diaconus subscripsi. Ego in Dei nomine Vuillelmus diaconus, scripsi et subscripsi, dataui, die Sabbato VI. KL. Augusli. Anno XIV. regnante domino nostro Ludouico Imperatore. Année 828.

p. 36

[No. 102, Apr. 829]

Permutatio terrarum inter Leotgis Vicecomitem, et Albericum Episcopum.

Auxiliante Domino nostro Ihesu Christo, placuit atque conuenit, vt inter Leotgis Vicecomitem, et ab alia parte domnum Albericum vrbis Lingonicae Episcopum, vt inter eos aliquid de terris eorum inter se commutare deberent; quod ita in presente fecerunt. Dedit Leotgis domno Episcopo Alberico, de suo

proprio ad partem Sancti Mame vel sancti Martini Ladonense, ad suum Beneficium, in Centena Oscarense, in fine Caariacense, peciolas duas de terra culturale. Habet vna peciola terminum de vno latere et vno fronte terra sancti Petri et sancti Preiecti Flauiacensis, de alio latere terra fiscale, et de vno fronte Leotgis tenet, habet in longo perticas XLVIII. in iambis frontibus perticas II. pedes III. Infra ipsas terminationes ad integrum alia peciola habet terminationes, de vno latere et vno fronte Leotgis tenet in suo beneficio, de alio latere Arlulfus tenet, de alio vero fronte strada publica pergit, et habet in longo perticas agripennales XXX. in vno fronte perticam vnam, pedes duos, in alio fronte pertica vna, pedes octo, infra istas terminationes vel perticationes totum et ad integrum. Similiter dedit dominus Albericus Episcopus de ratione sancti Mamme vel sancti Martini Ladonense, de suo Beneficio, ad partem Leotgis, peciolam de terra in iamdicta Centena Oscarense, in fine Cadriacense, in ipsa villa quae terminat de vno latere, et vno fronte ipse Leotgis tenet, de alio latere et alio fronte exus publicus pergit, habet in longo perticas agripennales XXVII. habet in vno fronte perticam I. pedes X. in alio fronte perticam I. pedes X. infra istas terminationes vel perticationes totum et ad integrum, et repromittunt inter se vnus quisque, de hoc quod accepit pars coram pari suo, quod vlla calumnia nec dicere, nec repetere villo modo debeat; quod si fecerit, inferat pars parti cui calumniam intulit, in duplum tantum quantum ab eo accepit, et in fisco auri libram vnam, et hanc procambiam inter eos factam, omni tempore firmum et stabile permaneat, stipulatione subnixum. Actum Diuion. Castro. Signum Leotgis, qui hoc procambium conscribere

p. 37

et firmare rogauit. S. Gerindo, S. Arnaldo, S. Isudido, S. Fluido, S. Batillono, S. Gislamanno, S. Agalberto. Ego in Dei nomine, Leotaldus presbiter, hanc procambiam scripsi et subscripsi, dataui, die Dominico XIV. Kl. Maij, in anno XV. regnante domino nostro Ludouico Imperatore.
Année 825.

[No. 104, 830]

Fulcricus permutat terras cum Alberico Episcopo.

Cum inter duas partes diuidens voluntas ut in effectum perducet, decreto legum sanxit auctoribus, ut omnibus qui inter se congruum facere volunt emptionem, vel procamiam, per scripturarum testium firma roboretur utilitas. Quatinus sicut integra decreuit voluntas, in perpetuum sit inter ipsos de eis rebus firma stabilitas. Conuenit ergo inter domno et venerabili Alberico Episcopo Lingonicae ciuitatis, et ab alia parte Fulcrico, qualiter inter se terras procamiare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit Fulcricus domno Alberico Episcopo, ad partem sancti Benigni, de suo proprio, campos III. qui subiacent in Centena Oscarense, et est vnus campus in fine Saciacense, et habet in longo perticas agripennales C. in vno fronte II. pedes VIII. in alio fronte perticas duas, pedes VIII. infra istas terminationes, totum et ad integrum. Similiter in fine Crutinisense campos II. iuxta ipsam villam, et vnus campus habet terminationes, de vno latere et vno fronte terra sancti Petri Besuensis, de alio latere Guntardus tenet, de alio vero fronte strada publica pergit, habet in longo perticas agripennales XXI. in lato perticas VI. infra istas terminationes ad integrum. Alius campus habet terminationes de ambis lateribus, Guntardus tenet de vno fronte terra sancti Petri Besuensis, de alio vero fronte strada publica pergit; habet in longo perticas agripennales XXXVI. et pedes decem, in latus in ambis frontibus perdicas IV. pedes IV. infra istas terminatones totum et ad integrum. Similiter domnus Albericus dedit de ratione sancti Benigni partibus Fulcrici calmam vnam, quae est in centena Oscarense, in fine Izzodora, habet ipse campus vel calma, de vno latere et vno fronte exus publicus pergit, de alio latere Tila fluuius decurrit ;

p. 38.

de vno vero fronte ipse Fulcricus tenet et habet in longo perticas agripennales XXXVI. pedes X. in vno fronte perticas XVII. in alio vero fronte perticas XV. infra istas terminationes vel perticationes totum et ad integrum. Similiter in ipso loco pratello vno, qui habet terminationes, de vno latere et vno fronte Ratio sancti Benigni possidet, de alio latere Fulcricus tenet, de

alio vero strada publica pergit, habet in longo perticas agripennales XXIII. habet in vno fronte perticas XV. et dimidiam, in alio vero fronte perticas VIII. infra istas terminationes vel perticationes totum et ad integrum : et repromittunt inler se vnusquisque de hoc quod accepit, pars contra pari suo, quod vlla calumnia nec dicere nec petere non debeat : quod si fecerit, inferat pars parti isti Rectores Ecclesiae cum socio fisco auri libram vnam, et hoc procamium inter ipsos factum, omni tempore fuma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa. Actum Asrao villa publice. Signum Fulcrico, S. Ermengardae, qui hanc procamiam fecerunt, et conscribere, et firmare rogauerunt. Signum Burgoaldo, signum Vuidaldo, signum Vrsono, signum Absalomo, signum Amalberto, signum Bretlando, signum Vandaldrado, signum Erinrico, signum Blitgario, signum Aminando, signum Gistaldo, signum Louono, signum Ildegario. Tetmarus scripsit, datauit, anno XVI. regnante domno nostro Ludouico Imperatore.

[No. 106, Mart 836]

Permutantur terrae S. Benigni cum Leotaldo.

Auxiliante Domino, placuit atque conuenit, vt inter Baldono Praeposito, seu cunctis fratribus tam presbiteris quam diaconibus, id est Airfundo presbitero, Vuillelmo, Arnaldo, Arlefredo, Adalmano, Agenbaldo, Alteo, Madalberto, Frubunulfo, Gundairo, Lumino, Arlerio, et ab alia parte Leotaldo presbitero; dedit Leotaldus presbiter de suo procamio, ad iam dictos fratres, ad partem sancti Benigni, ad illorum beneficium recipiendum, peciolas de terra duas, quae sunt sitae in pago Diuionensi, in ipsa villa fine Diuionense. Est vna peciola in loco qui dicitur Petraficta, terminat ipsa peciola de vno latere terra sancti Stephani, de alio latere Theodmarus tenet, de vno fronte terra sancti Iohannis,

p. 39.

de alio vero fronte Sisunus fluuius decurrit, et habet in longo perticas agripen. LXXI. in vno fronte perticas III, pedes sex, in alio fronte perticas tres, infra istas terminationes per perticationes totum ad integrum. Est alia peciola iuxta Diuion.

castrum, terminat ipsa peciola de vno latere et vno fronte strada publica, pergit de alio latere terra sancti Benigni, de alio vero fronte terra sancti Iohannis, habet in longo perticas agripennales XIX. in vno fronte perticas III. pedales XVII. in alio vero fronte perticas III. pedales III. infra iam dictas terminationes vel perticationes, totum ad integrum dedit Leotaldus, ad vicem, ad iam dictos fratres ad partem sancti Benigni, ad illorum beneficium recipiendum. Similiter dederunt fratres, ad vicem, partibus Leotaldo Presbitero, de ratione sancti Benigni, de illorum beneficio, peciolam de campo ad proprium recipiendum, peciolam de terra quae est sita in Centena Oscarense, in fine Tremolense, terminat ipsa peciola de ambis lateribus et vno fronte terra sancti Stephani ; de alio latere terra sancti Petri Besuensis, et habet in longo perticas agripennales XXXIV. in vno fronte perticas VI. pedes X. in alio fronte perticas VI. pedales V. infra istas terminationes vel perticationes totum ad integrum commutauerunt fratres partibus Leotaldo presbitero, ad proprium recipiendum, et inter se repromittunt vnusquisque, pars contra pari suo, de hoc quod accipit, quod nulla calumnia dicere nec repetere non debeat : quod si fecerint, inferat pars parti custodi, in duplum, tantum quantum ipsa terra meliorata valuerit, fisco vero auri vncias II. et hoc procamium inter ipsos factum, omni tempore firmum et stabile permaneat, stipulatione subnixum. Ego in Dei nomine Leotaldus, ac si presbiter indignus, hoc procamio a me facto, relegi et subscripsi et conscribere rogavi. Baldo diaconus subscripsit. Signum Arnaldas presbiter, signum Airfons presbiter, signum Vuillelmus presbiter, subscripsit Arlafredus presbiter, signum Adalmandus diaconus, signum Euraldus diaconus, signum Madalbertus subdiaconus, signum Esembertus diaconus, signum Gundracus clericus : ego Flaunulfus clericus, rogatus scripsi et subscripsi. Datum die Martis, Nonis Martiis, in anno XXIII. regnante domno nostro Ludouico Imperatore. Année 836.

p. 40

HLudouicus Pius Imperator Fulberto fideli suo concedit Aziriaca villam.

IN nomine domini Dei et Saluatoris nostri Iesu Christi,
HLudouicus, diuina repropitiante clementia Imperator
Augustus.

Imperialis excellentiae magnitudinem decet, fideliter sibi
deuoteque famulantes muneribus et honoribus ditare, atque
Regiae munificentiae liberalitatibus honorare. Proinde
comperiat omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae,
nostrorumque praesentium scilicet et futurorum sagacitas, quia
concessimus ad proprium Fulberto fideli nostro, quasdam res
nostrae proprietatis, quae sunt in confinio Cauilo Atoariense, et
Centena Oscarinse, in loco cuius vocabulum est Aziriaca villa,
mansum dominicatum, ad quem aspiciunt alij mansi quinque et
dimidius, cum aedificiis desuper positis, terris, campis, pratis,
siluis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus Mancipia
diuersi sexus et caetera videlicet quantumcumque praedictus
Fulbertus in memorata villa, nostra munificentia beneficiario
iure adeptus est, et ad memoratos mansos pertinere noscitur, sed
vt liberalitatis nostrae largitio, per diuturna tempora rata atque
inuiolabilis permaneat, ac verius certiusque credatur, hos
nostrae auctoritatis apices ei fieri darique decreuimus ; per quos
praecipimus atque iubemus, vt ab hinc in futurum, memoratae
res ac mancipia, in eiusdem fidelis nostri Fulberti iure ac
dominatione permaneant. Ita videlicet vt quicquid de eis vel in
eis iure proprietatis facere, ordinare, atque disponere voluerit,
vendendi, donandi, commutandi liberam in omnibus habeat
potestatem faciendi : et vt huius nostrae largitionis donationisve
auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius
diligentiusque conseruetur, manu propria subter eam
firmauimus, et anuli nostri impressione adsignari iussimus.
Signum HLudouici Serenissimi Imperatoris. Daniel Notarius ad
vicem Hugonis recognoui et subscripsi, data IX. KL.
Septembris, anno Christo propitio XXIII. Imperij domini
HLudouici Piissimi. Augusti. Indictione XIV. Actum Rampert
villa, in Dei nomine feliciter, Amen.
Année 836.